





Q. D. B. V.  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O INAUGURALIS  
MEDICO-CHIRURGICA  
DE  
**CONVULSIONIBUS**  
**PARTURIENTIUM.**

QUAM  
*DIVINO ASSISTENTE NUMINE,*  
CONSENSU ET INDULTU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

**PRO LICENTIA**  
**GRADUM DOCTORIS**

MORE MAJORUM LEGITIME IMPETRANDI  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR  
**FRANCISCUS HENRICUS**  
**KELP,**

OLDENBURGENSIS.

D. 19. APRILIS MDCCXLVII.  
HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

---

ARGENTORATI,  
Litteris PAUSCHINGERIANIS.

DISSERTATIO IN AGRICULTURA  
MEDICO-CHIRURGICA

DE

CONVERSATIONIS  
PARTURIENTIUM.

MAI

ANNO MDCCLXVII A. V. A. M. A. M. A.

CONSENSU ET INDULTA

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICO-

PRO THORNTIA

CRAUDUM DOCTORIB

MORI MAJORUM ELEGITIM IMPERANDI

HONORIS PROPRIORUM ET MUNERUM REHIC

ALERE

FRANCISCUS HENRICUS

KERB

OPUSCULUM

DI 17. JULI 1752. MDCCCLII

HERIS LOCISQUE CONSUETIS

AGRICULTORUM

THEMIS FUGITIVIS

*PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO*  
DOMINO, DOMINO  
**CHRISTOPHORO**  
ERNESTO  
**A BEULWITZ**

S. R. M. DANIAE ET NORVEGIÆ  
A CONSILIIS INTIMIS,  
EQUITI ORDINIS DANNEBROGICI,  
ET IN COMITATIBUS OLDENBURGENSI  
ET DELMENHORSTANO  
SUMMO SATRAPÆ,  
**DOMINO SUO**  
GRATIOSISSIMO.

*NEC NON*

*GENEROSISSIMO DOMINO,*  
**DOMINO**  
**A B ALEFELDT,**  
S. R. M. DANIAE ET NORVEGIÆ  
A CONSILIIS CONFERENTIARUM  
ET GENERALI COMITATUS OLDENBURGICI  
PRÆFECTO.

UT ET  
GENEROSIS, PRÆNOBILISSIMIS  
ATQUE CONSULTISSIMIS RELIQUIS, PERIL-  
LUSTRIS AC SUMMI, QUOD DICTIS COMITATIBUS  
PRÆEST, DICASTERII ET REGIMINIS  
REGII, MEMBRIS

DOMINIS  
DIRECTORI,  
CONSILIARIIS ET ASSES-  
SORIBUS CANCELLARIAE  
MÆCENATIBUS,  
PATRONIS  
ATQUE FAUTORIBUS SUIS  
GRATIOSIS,  
ET ÆTATEM COLENDIS,  
DISSERTATIONEM HANCCE,  
CUM VOTO OMNIGENÆ PROSPERITATIS,  
IN DEVINCTISSIMI ANIMI TESSERAM  
OMNI, QUA PAR EST,  
REVERENTIA ATQUE OBSERVANTIA  
OFFERT, DICAT ATQUE DEDICAT  
MAXIMORUM NOMINUM  
CULTOR OBSEQUIOSISSIMUS  
FRANC. HENRICUS KELP.



§. I.

**D**uae in nostro corpore dantur vires promotu, altera *vitalitas*, altera *elasticitas*. Prior non nisi in corpore vivente adest & sanguinis & spirituum influxum pro causa agnoscit; posterior vero est naturalis fibrarum cohaesio post mortem adhuc remanens, quae etiam *vis physica* audit.

§. II.

*Elasticitas* fere omnibus corporis partibus competit. *Vitalitas* vero non nisi partibus musculosis tribuitur, quae omnium motuum, in corpore humano perficiendorum, organum existunt.

§. III.

Partes vero musculosas per se ad motus efficiendos haud sufficere, sed tantum tanquam organum motuum esse considerandas, vel ex eo probatur; quod deligatis vel sectis arteriis atque nervis, verius partem quandam musculosam tendentibus, omnis hujus partis motus plane cesseret.

§. IV.

Cum vero arteriarum atque nervorum deligatione, cava tantum, sanguini & fluido nerveo transitum

A 3 præ-

præbentia, comprimentur, hac autem compressione omnis motus plane cesseret; (§. 3.) facile patebit, sanguinis & spirituum influxum in musculos, ad eorum motum, necessario requiri, ideoque omnium motuum esse causam.

## §. V.

*Motus* in corpore nostro dividuntur, in *animales*, *vitales* atque *mixtos*. *Animales* motus ab animi voluntate tantum pendent, ideoque etiam *voluntarii* audiunt. *Vitales* vero dicuntur, qui animi imperio non ita subjiciuntur, ut eosdem sistere possit, tametsi, affectus excitando, eos tam augere, quam imminuere queat; quare & *involuntarii* adpellantur. *Mixti* deinde dicuntur, qui non cogitante anima perficiuntur quidem, pro lubitu tamen ad tempus vel augeri, vel imminui, vel plane sisti possunt.

## §. VI.

*Causa* omnium motuum cum sit sanguinis & spirituum influxus, (§. 4.) hi vero tam in cerebro quam cerebello secernantur, & ex utroque nervi abeant; experientia anatomica docet maximam partem nervorum ad motus vitales perficiendos à cerebello prodire, animales vero à nervis ex cerebro aequalibus pendere. BOERHAV. *Instit. Med.* §. 414.

## §. VII.

Motus hi omnes (§. 5.) sunt aut naturales aut præternaturales. Si sunt præternaturales vel esse debent imminuti, vel aboliti, vel depravati. Motus depravati dicuntur omnes motus præternaturaliter aucti, quorum iterum variae dantur species. Ne ve-

ro

( 7 )

ro longius à scopo meo aberrem , sufficiat mihi de una tantum motuum depravatorum specie , *Convulsionibus* scilicet *parturientium*, pauca pro ingenii tenuitate dixisse.

### §. VIII.

*Convulsio* in genere dicitur motus depravatus ac involuntarius , in pluribus nostri corporis partibus simul sese manifestans. germ. die Gichter. Si vero in una tantum vel altera parte deprehenditur, *spasmus* audire solet. germ. der Krampf.

### §. IX.

Omnis convulsio cum sit motus muscularum auctus, (§. antec.) omnis vero horum motus ab influxu spirituum dependeat; (§. 4.) sequitur, quod aucto effectu simul ejusdem caussa augeatur, i. e. quod in convolutionibus auctus semper adsit spirituum influxus.

### §. X.

Irritationem in nostro corpore, cæteris paribus, semper sequitur constrictio, quæ, quo major irritatio, eo vehementior contingit. Quicquid ergo fibras nostri corporis ad constrictiōnem majorem irritare valer, pro caussa convolutionum erit habendum.

### §. XI.

Huc referuntur:

1. Ætium acrimonia partes imprimis tendinosas ac nervosas diu stimulans.
2. Extentio nimia earundem partium (no. 1.) solutioinem continui minitans.
3. Evacuatio sanguinis major.

4. Vul-

4. Vulnera partium exquisito sensu præditarum.  
5. Plethora insignis.

### §. XII.

Hic generalioribus præmissis, convertimus nos ad convulsiones parturientium, quarum varias causas, eafundemque curationem rationalem subministrabimus. Cum vero mihi nunquam huic morbo præsentem esse contigerit, quæ propria experientia non suppeditat, ex aliena erunt desumenda: in quem finem ea potissimum in sequentibus proferre haud dubitabo, quæ ex ore Venerandi Praeceptoris FRIE-DII, Med. Doctoris & Magistri artis obstetricalis experientissimi, percipere mihi licuit.

### §. XIII.

Per convulsiones parturientium istas (§. 8.) intelligimus, quibus foeminæ partus tempore ejusdemque doloribus jam præsentibus corripiuntur. germ. die Geburthsgichter, die Convulsionen, oder schwere Noth der Kreissenden.

### §. XIV.

Distinguendæ sunt hæ convulsiones ab iis motibus convulsivis, quos ex frænuli dilaceratione primiparæ haud raro experiuntur. Hi enim cum statim post fœtus exclusionem cessare solent, obstetricantis auxilium non requirunt.

### §. XV.

*Subiecta* nostri affectus præ aliis sunt primiparæ sensibiores, a) quamvis & aliæ mulierculæ, ætate jam

a) vid. MAURICEAU Observ. sur la grossesse &c. observ. 331.  
Von Horns Siphra und Puig/ Cap. VIII. p. 39.

jam proiectæ , nec non sensibilioris texturæ haud raro huic morbo succumbant ; quarum nonnullæ semper cum doloribus ex partu simul convulsionibus corripiuntur. b)

### §. XVI.

*Signa* hujus morbi quod adtinet , illa plerumque sequenti modo sese habere solent : Gravida , doloribus ex partu præsentibus , timore insequentis periculi corripitur , facies sit pallida , insequuntur palpitationes cum ingentibus doloribus conjunctæ . Caligo oculos obducit , aurium experitur tinnitus , quos dormitatio cum subfultu tendinum excipit . Hisce prægressis convulsiones cum oculorum rigiditate & in orbitam retractione , nec non ore spumescente sanguine repleto c) subsequuntur . Post primum paroxysmum , brevi tempore transeuntem , parturiens sensuum rationisque usu destituta , quasi alto somno correpta adpareret ; sed cito redit paroxysmus vehementior , diutiusque ægram adfligere solet .

### §. XVII.

*Circa prognosin notandum :*

1. hunc adfectum tam parturienti quam foeti esse periculosissimum , nisi utrique post unum vel alterum paroxysmum succurratur. d)
- 2) Tempore inter duos paroxysmos intermedio si  
B  
partu-

b) MAURICEAU traité des maladies des femmes grosses . Libr. II. Cap. XXVIII.

c) von Horn l. c. p. 31.

d) LA MOTTE traité complet des accouchemens Libr. III. Cap. XII. item von Horn l. c.

parturiens ad se redit, magnam salutis spem esse  
formandam, & contra. e)

3. Infante ex utero educto, si convulsiones non  
cessant, rem plerumque esse conclamatam.

### §. XVIII.

Nunc variae nostri adfectus caussae nobis considerandæ veniunt, quarum proximam seu immediatam, spirituum esse majorem in musculos influxum, ab irritatione nervorum ortum, in §. 9. & 10. jam indicavimus.

### §. XIX.

Quod vero caussas mediatas spectat, illæ sunt vel *proximiores* vel *remotiores*. Ad caussas mediatas nostri adfectus in genere referri possunt omnes (§. 11.) adlegatae. Speciatim vero ad *proximiores* pertinent

1. Extensio insolita partium genitalium, ab infantie exitum quærente, inducta.
2. Hæmorrhagia uteri ex quacumque caussa. (§. 37.)
3. Suppressio æ plenaria, à capite infantis collum vesicæ comprimente. f)

### §. XX.

Hæc extensio insolita partium genitalium (§. 19. no. 1.) contingit iterum infante vel naturali, vel præternaturali modo exitum sibi promovente. Quodsi situs infantis ad partum est naturalis, & infans naturaliter conformatus, convulsiones oriri possunt

1. In primiparis sensibilioribus, quarum genitalia, multis

---

<sup>e)</sup> MAURICEAU Observ. 376.

<sup>f)</sup> LA MOTTE l. c. Observ. 216. & 217.

multis nervis prædita, prima vice tanto gradu extenduntur, ut hac tensione ad cerebrum usque & reliquos nervos continuata, major & irregularis spirituum influxus in toto corpore extiterit.

2. Liquore amnii cito nimis effluxo; unde uterus ob resistentiam jam imminutam, statim seco contrahens, fœtum tanta vi versus uteri orificium propellit, ut ejusdem dilatatio quasi simul atque semel facta, eodem modo ac no. 1. Convulsiones inducat.

### §. XXI.

Situs infantis præternaturalis, à principio ab imperitis neglectus, extensionem majorem ac diuturniorem partium genitalium inducendo, præsertim in subiectis sensibiliibus, ad nostrum adfectum disponit. g) Huc etiam referri liceat situs uteri obliquus, qui partus difficiles reddendo summos parturientibus dolores infert, quos eodem modo (§. 20. no. 1.) convulsiones insequi possunt.

### §. XXII.

Jam ad cauſas mediatas remotiores nos accingimus, quæ dividuntur in naturales, nonnaturales & præternaturales.

Ad naturales pertinent:

1. *Temperamentum cholericum & melancholicum*, quorum fibræ strictiores, tantam extensionem, quam partus supponit, sine summo dolore non admittunt. Huic accedit plethora in temperamento cholericō præ cæteris obvia, qua hæmorrhā-

B 2

giæ

g) LA MOTTE Libr. III. Observ. 213.

giæ & ex hisce convulsiones facillime inducuntur.

2. *Aetas jam provecta*, in qua fibræ rigidiores redditæ extensiōni infantis difficilius cedunt, quam in ætate juniori.
3. *Dispositio hæreditaria*. (§. 15.)

### §. XXIII.

*Nonnaturales caussæ* quatenus ad affectum nostrum disponunt, sunt

1. *Aër* nimis calidus, qui orgasmum in sanguine excitando, hæmorrhagias inducere valet.
2. *Eculenta & potulenta*, quæ tam quantitatē sanguinis insigniter augent, quam ipsi orgasmum inferunt. Hisce adhuc adnumerari merentur omnia flatulentæ, qualia sunt leguminosa, farinacea &c. nimia quantitate ingesta, quæ dolores spasmodicos intestinis exhibendo, tam uterum, quam totum systema nervosum ad constrictiōnem irritare possunt.
3. *Motus corporis vehementior*, nec non variæ violentiæ externæ, quibus uterus ad præmaturam constrictiōnem facile irritatur.
4. *Retentio diuturnior fæcum alvinarum*.
5. *Animi patibemata*, quatenus sanguinem nimium exæstuant, eundemque majori copia versus uterum propellunt, unde ipsius hæmorrhagiæ haud raro ortum trahunt. h)

### §. XXIV.

Ad caussas denique *præternaturales* quod adtinet, gene-

h) DEVENTER Operat. Chirur. novum lumen exhibentium obstetric. Cap. 33. p. m. 144.

generatim huc spe&tat, liquoris amnii vel parva copia, vel retro infantem hærens; ita ut viæ fœtum transmittentes ad ipsius exclusionem uno quasi actu fint extendendæ, unde dolores acutissimi & ex hisce Convulsiones oriri possunt. Speciatim vero tam in ipso fœtu, quam in matre deprehenduntur. Fœtus enim si præternaturaliter est conformatus, ipsius extum difficillimum reddit, ideoque ad Convulsiones disponit (§. 21.)

1. Si ingentis est magnitudinis, quo viæ transitum præbentes nimium sunt distendendæ. i)
  2. Si est hydrocephalicus, vel asciticus.
  3. Quando est monstruosus, ita ut duo vel plures cum se invicem coaluerint,

In matre vero hæret, quando ipsius pelvis nimis angusta existit, vel alio modo præternaturaliter est conformata.

§. XXV.

Jam ad curationem nostri adfectus progredimur.  
Hæc vero sola medicamentorum exhibitione absolvit  
nequit, quoniam causa hujus mali ut plurimum est  
ipse fœtus, è carceribus suis exitum quærens: hujus  
igitur exclusio est promovenda, id quod non nisi  
manuum ad applicatione fieri debet, cavendo ab omni-  
bus sic diætis partum pellentibus, quæ cum vel mas-  
fam sanguineam exæstuant, vel fibras nostri corporis  
ad constringionem præternaturalem irritant, causam  
immediatam omnium convulsionum (§. 18.) ut adau-  
geant, necesse est. Quid emetica, in hoc adfectu, ad-

B 3 for-

i) MAURICEAU Obsrv. 90. & 125.

fœtum propellendum à nonnullis exhibita, præstite-  
rint, tristis experientia jam dudum docuit. k)

### §. XXVI.

Ut vero convulsiones aliquo modo mitigentur, interne commendanda sunt temperantia & leniter ano-  
dyna, quibus orgasmus sanguinis infringitur: in quem  
finem & externe adhiberi possunt aceta destillata na-  
ribus adtracta. Cum hisce conjugenda sunt clysmata  
ex emollientibus parata, quæ cum quam proxime  
ad partem affectam accedant, uteri fibras relaxando,  
easdem ad ulteriorem constrictionem ineptiores red-  
dunt: hac tamen cautela adhibita, ut, si forte ab uteri  
hæmorrhagia convulsiones ortum traxerint, (§. 19.  
n. 2.) istorum usus omnino sit proscribendus.

### §. XXVII.

Quandoque ab insigni plethora hæ convulsiones  
si non unice proveniunt, 1) exacerbantur tamen: ad  
quam imminuendam V. S. larga statim in usum vo-  
canda, quæ etiam, si symptomata non mitigantur,  
plethora vero adhuc emineat, repetenda.

### §. XXVIII.

A quacumque vero cauſa morbus noster prove-  
niat, tam remedia (§. 26.) quam V. S. tantum ad sym-  
ptomata mitiganda in usum sunt vocanda; minime  
autem integra morbi solutio inde expectanda, quæ,  
quamdiu fœtus in utero adhuc continetur, ob tensio-  
nen partium genitalium, quam vi dolorum exercet,  
plerumque spem nostram eludit. Ad fœtus exclusio-  
nem

k) MAURICEAU Traité de malad. des femmes grosses. Lib. II.  
Cap. 28. m. 336.

1) MAURICEAU. libr. cit. p. m. 335.

nem igitur primario in hoc affectu erit adtenden-  
dum. m) Cum vero ad hunc finem obtinendum ne-  
que medicamenta exhibere, (§. 25.) nec opus hocce  
naturæ committere liceat , n) manus chirurgica ne-  
cessario requiritur , qua dextrè adplicata , fœtus quam  
promptissime e carceribus suis educatur.

### §. XXIX.

Hoc vero auxilium chirurgicum duplici absolvitur modo. Vel enim sola manuum sit ope , sine instrumentis adhibitis , vel instrumentis & manibus simul. Quocunque vero modo hoc fiat , semper operatio post primum statim vel secundum paroxysmum est instituenda , quoniam per convulsiones reiteratas tanta sit spirituum dissipatio , ut postea vires ægrotæ ad operationem sustinendam haud amplius sufficiant.

### §. XXX.

Antequam operationem agrediatur obstetricans , tactu prius exploranda sunt

1. Orificii uteri apertura , ex qua cognoscitur , an forte convulsiones à dolorum spuriorum efficacia , an vero à præternaturali vel infantis , vel uteri situ originem ducant.
2. An , infante capite prodeunte , ipsum caput adhuc supra pelvim hæreat , vel an jam tantos in pelvim fecerit progressus , ut manus non amplius in uteri cavitatem induci possit , quod tam

m) von HORN l. c. p. 33. LA MOTTE Libr. III. Cap. XII. p. m. 277. it. MAURICEAU. Traité des malad. des femmes grosses Lib. II. Cap. 28. p. m. 337.

n) von HORN l. c.

men necessario requiritur , si infantem pedibus  
extrahere animus est.

### §. XXXI.

Si tactu cognoscitur , durantibus doloribus , orificii uteri aperitum magis diminui quam augeri , tunc conjunctis cæteris signis dolores spurios adesse certi sumus . Cum vero hi dolores plerumque vel à colica flatulenta , vel ab acrimonia intestina irritante orientur , ex diæta ægrotæ prægressa erit dijudicandum , quænam harum cauſarum adsit .

A colica flatulenta quando hi dolores proveniunt , tunc carminativa tam per os assumta , quam præcipue in clysteribus adhibita statim ægrotanti erunt exhibenda . Si vero acrimonia in intestinis hærens subest , hæc lenioribus laxantibus , ut & clysmatibus ex fero lactis paratis & sæpius repetitis est evacuanda , quibus absorbentia ad materiam acrem corrigendam interponi possunt : nec negligenda est V. S. præser-  
tim si plethora adesse deprehenditur .

### §. XXXII.

Explorato igitur situ infantis , ( §. 30. n. 1. 2.) statim eo admittendum , ut manuum ope præsentissimum parturienti feratur auxilium . Cum vero ratio & conscientia semper à mitioribus inchoare dicuntur , in genere circa auxilium chirurgicum tenendum , sola manuum adplicatio quædiu ad fœrum ex utero educendum sufficit , instrumenta in usum non esse vocanda , quia hisce adhibitis ( §. 35.) vita infantis conservari nequit .

### §. XXXIII.

Parturiente igitur in situ operationi adcommo-  
datum

datum redacta, si infantis caput adhuc supra pelvum hæret, versio ipsius est instituenda, & quidem sequentem in modum: Obstetricans unum digitum post alterum in orificio uteri immittit, quibus motu quasi perforante eosque ampliatur, donec manus introductionem admitrat. Tunc, membranis, si adhuc sunt integræ, unguibus digitorum, vel acu punctionis dilaceratis, manus statim in ruptas hasce membranas inducenda, ne uterus, ob resistentiam liquorum jam imminutam, continuo sese contrahens, versionem infantis difficiliorum reddat. Hoc facto, manu semper corpus infantis concomitante, pedes extremitati sunt investigandi, quibus circa malleolos correptis, ita ut calcanei versus volam manus spectent, fœtus protractioni obstat, tunc secundum regulas de versione infantum in utero erit agendum.

Fœtu ex utero educتو, ad ipsius placenta separationem statim sese accingat obstetricans, quæ si substantia uteri firmiter adhærescit, lege artis est instituenda.

#### §. XXXIV.

Interdum vero infans modo (§. anteced.) indicato excludi nequit, quando nimirum ipsius caput jam eousque in pelvem descendit, ut manum in uterum inducere velle irritum foret conamen. Tunc variis instrumentis ad infantem educendum utuntur obstetricantes.

MAURICEAU in hoc casu infantem hamulis extrahere jubet, o) id quod in tali partu optimo cum successu se fecisse adfirmat. p) Alii in hunc finem com-

C men-

---

o) Traité des Maladies des femmes grosses. Lib. II. Cap. 28.  
p) Observat. 3. & 157.

mendant usum forcipis Anglicanæ. q) Verum, quod usum horum instrumentorum adtinet, illum non admittimus, nisi caput infantis parvæ tantum molis esse deprehendatur, quia hisce instrumentis adhibitis, integrum caput protrahitur, unde magna fit viarum fœtum transmittentium extensio, ex qua convulsiones jam præsentes ut augeantur, necesse est. Ne dicam, hac methodo adhibita, sæpenumerō vulnera colli vesicæ urinariæ, vaginæ uteri, intestini re-eti, & perinæi esse inducta. r)

### §. XXXV.

Ut igitur mala ex integri capitis extractione facile oritura (§. antec.) evitentur, præsertim si caput infantis majoris est magnitudinis, vel plane hydrocephalicum, ejusdem moles, antequam protrahatur, est immiuenda.

Id vero, juxta normam Celeberr. D. D. FRIEDII, fiat sequenti modo: Parturiente in situ commodum redacta, membrana, quæ superiora cranii ossa in fœtu connectit, fontanella dicta, aperiatur s) instrumento, à Venerando Præceptore invento, & troiscarp adpellato. t) Huic apertura immittenda ferra, cuius ope cranii ossa in formam trianguli inversi dissecantur; quorum frustulis extractis & apertura sa-

tis

q) cuius delineationem & usum vid. in BOEHMERI disquisitione de usu & præstantia forcipis Anglicanæ, RICHARDI MANNINGHAM Compendio artis obstetr. adnexæ, Halæ Magdeb. 1746.

r) plura adhuc incommoda ex integri capitis extractione oritura refert de la MOTTE libro cit. in reflexione ad Observ. 217.

s) in quem finem laudatus de la MOTTE l. c. Observ. 217. usum forcis commendat.

t) Cuius instrumenti delineationem, ut & reliquorum, quæ ad hanc operationem concurrunt, & à Celeberr. D.D. FRIEDIO sunt inventa, exhibet D. VOIGT in dissertatione de capite infantis abrupto. Gießæ 1743.

( 19 )

tis ampla reddita , cochleare , cuius pars excavata  
marginē dentato est prædicta , cerebrum & meninges  
evacuentur.

Cerebro nunc evacuato , cranii ossa sunt com-  
primenda , & digitis in cranii cavitarem infixis , caput  
protrahendum . Si vero vi protrahenti infans usque  
ad humeros tantum cedit , tunc uno brachio post  
alterum ex utero educto , reliquæ partes infantis in  
utero adhuc contentæ plerumque subsequuntur ; nisi  
infans vel est asciticus , vel monstrosum , vel pelvis præ-  
ternaturaliter conformata .

#### §. XXXVI.

Ascites si exclusionem infantis non permittit ,  
tunc statim cultro unciformi , Gallis *crochet trenchant* , u) caute introducto , ne vagina , vel ipse ute-  
rus laedatur , abdomen sufficienter aperiendum , quod  
aquis effluxis extractioni statim cedit .

In fœtu vero monstroso (§. 24. no. 3.) eodem  
cultro unciformi , una pars post alteram abscindenda & educenda , quo tandem ad exclusionem aptus  
evadat . Pelyi denique ita conformata , ut integer  
infans transire nequeat , ipse vel discissus , uti in fœ-  
tu monstroso , vel sectione cæfarea est excludendus .

#### §. XXXVII.

Quæ ex uteri haemorrhagia oriuntur convulsio-  
nes , (§. 19. no. 2.) omnium certe sunt periculosissi-  
mæ , quoniā magnam vasorum exinanitionem pro-  
caussa agnoscunt , unde etiam à MAURICEAU x) ad  
absolute lethales referuntur . Hujus haemorrhagiæ  
iterum variae dantur caußæ , aliae enim sunt *externæ* ,  
aliae *internæ* .

C 2

Ad

---

u) cuius figura itidem reperitur in supra laudata VOIGTII  
dissertatio .

x) l. c. Observ. 364.

Ad internas spectant

1. Plethora gravidarum insignis. (§. 27.)
2. Situs placentæ uterinæ super ejusdem orificiūm. y)

Ad cauſas vero externas referuntur motus corporis vehementiores, nec non variii impetus externi, quibus sanguis majori copia versus uterum delatus, ipsius placentam in aliquo loco separat, unde vasā sanguifera, in uterum hiantia, cum fese ob infantem in utero adhuc contentum constringere nequeant, sanguinem in tanta quantitate effundunt, ut nisi promptissima foetus extractione parturienti succurratur, vita ipsius valde periclitetur.

### §. XXXVIII.

Suppressio urinæ plenaria, (§. 19. no. 3.) infantis capite, collum vesicæ comprimente, inducta, si caulfam præbet convulsionibus; tunc digitis collo uteri adplicatis, caput infantis pauxillum versus os sacrum protruditur, quo facto, collo vesicæ à compressione jam liberato, urina statim profuet, nisi ob extensionem nimiam prægressam tono suo orbata fuerit vesica, in quo casu urinæ effluxus catheteris applicatione est promovendus.

### §. XXXIX.

Infante ex utero educto, & convulsionibus cef-santibus, vires puerperæ, plerumque insigniter prostratæ, sunt revocandæ, id quod præstant Emulsiones ex amygdalis dulc. Pistaceis & Pineis confectæ, ut & Mixturæ ex analepticis combinatæ. Nec minus fese

---

y) de quo vide plura in dissertat. BRUNNERI, de partu præternat. ob situm placenta super orificium uteri internum. Argentor. 1730.

felse commandant gelatinæ ex Rrafur. C. C. Eboris,  
Hordeo & Avena paratæ. Si vero ex nimio sanguini-  
nis profluvio vasorum exinanitio orta fuerit , tunc  
juscula nutrientia ex carne vitulina, bovina, pullis &c.  
vires egregie restaurant, ea tamen cautela adhibita;  
ut per repetitas vices, parca tantum manu, ægris pro-  
pinentur.

## §. XL.

Nonnunquam infante cum secundinis legitime  
excluso, profluvium sanguinis ex utero novam con-  
vulsionibus caussam præbet. Cum vero haec hæmorr-  
rhagia vel à tono uteri debilitat, vel ab inæquali  
eiusdem constrictione originem ducat, ad uteri fibras  
roborandas laudarur porus copiosior ∇ frigidæ vel  
simplicis, vel chalybeatæ: Si vero inæqualis uteri  
constrictio in caussa est, frictio in regione hypoga-  
strica, manibus instituta, summopere commendatur.

## §. XLI.

Quod curam præservatoriam adtinet , MAURI-  
CEAU Z) iis, quæ simul cum doloribus ex partu con-  
vulsionibus torquentur, V. Snem. tempore graviditatis  
bis vel ter institutam, eandemque partu instantे  
denuo reperitam commendat, cuius ope se nonnullas  
nullas ab hisce convulsionibus immunes præsti-  
tisse adfirmat.

2) Traité des maladies des femmes grosses Libr. II. Cap. 28.  
p. m. 339.

## S. D. G.

En

EN! cathedram lætus conscendit KELPIUS,  
oris

Ut pandat dotes ingeniique sui.  
Convulsas gravidas, dum tentant edere partus,  
Aptum, quo tractes, edocet ille modum.  
Si fors virtuti, meritis affulget & arti,  
Semper erit Medicus clarus in Arte sua.

His paucis

Nobilissimo atque Doctissimo

DOMINO DOCTORANDO

obtinendos in Arte salutari honores  
gratulatur

JOH. JAC. KAMM , Med. D.  
& Pract. Argent. Opponens.

H Oftis hic adsum , Tibi quo Triumphus  
Clarior damno veniat meo. Inde  
Terga vertissem , nisi saepe , vinci  
gloria vieto.

Pauca hæcce Nobilissimo atque Do-  
ctissimo DOMINO DOCTORANDO  
gratulabundus offert.

MICHAEL WITTWERCK, Med. D.  
Opponens.

Du

**D**u legst uns solche schöne Proben,  
Beglückter Freund! jetzt vor Gesicht,  
Dass auch die Wahrheit selber spricht:  
Dein Fleiß sey nie genug zu loben.  
Sie freut sich Dich wohl zu bestehn  
Und so gerecht belohnt zu sehn.  
Der Wahrheit bin ich nicht zuwieder,  
Ihr kurzer Ausspruch ist gerecht,  
Mein Lob der Billigkeit zu schlecht;  
Drum schreib ich nur noch dieses nieder:  
Dass einst das Glück Dir so getreu,  
Als deine Kunst gegründet sey.

Dieses wolte Dem Herrn DOCTORANDEN  
zu Bezeugung seiner Freundschaft  
beysezgen

JOH. JAC. PHILGUS, Med. D.

---

**S**ic doctrina Tibi jam confert præmia grata,  
Pieridum plaudit docta corona manu.  
Arte Machaonia pergas majora mereri,  
Et monstres ægris , ars Tua quid valeat.

*Ita Doctissimo Domino DOCTORANDO , amico suo suavissimo  
applaudit*

JAC. LAMB. DAHMEN ,  
Med. Licent.

Könnt

**K**önnt ich wohl, Gelehrter Freund, ohne Röthe  
jezo schweigen,  
Da man Dich beglückt und froh sieht auf den  
Catheder steigen;  
Nein, das Wesen unser Freundschaft ist kein eingebildter  
Wahn,  
Und sie sieht anjetzt Dein Glücke auch nicht unempfinds-  
lich an.  
Aber komm! das Schicksal winkt; geh und stille das  
Verlangen  
So viel schwacher Sterblichen, Dich als Helfer zu ent-  
pfangen,  
Denn ich seh', erfüllt der Himmel, meinen Wunsch und  
ihr Gebet,  
Ihnen von dem Tod geholfen, Dich gesegnet und erhöht.

Um sich die Geneigtheit des Hochzuehrenden  
Berrn DOCTORANDEN fernerhin zu erhal-  
ten, wollte dieses beysegen

**Adolph Friederich Hamberger,**  
Phil. M. & Med. Doctorandus.

**S**Erther Freund, da heut Dein Mund, ein so  
klares Zeugniß giebet,  
Dass, nebst feiner Lebensart Du Gelehrsamkeit  
geiebet;  
En! so lohnt Hygea billig, Deinen unermüdeten Fleiß  
Und krönt Deinen klugen Scheitel mit der Ehren  
Lorbeer-Reiß.  
Deine Zung und Wissenschaft, macht mir Hoffnung dass  
viel Krancken  
Dir mit Küszen und mit Gold für die Hülffe werden  
dancken.

Erfist

Trifft mein Hoffen, trifft mein Wünschen, nun bey Die  
mit nächstem ein,  
Ach so las mich dann wie jeho unter Deinen Freynden  
seyn.

Mit diesen Zeilen wollte sich der fernern Freundschaft  
des Hochleu und Hochgeehrten Herrn  
DOCTORANDEN empfehlen

JOH. FRIDERICUS ERASMUS,  
Med. Doctorandus. Opponens.

**S**teund! die Palmen sind gebrochen, fort ins ferne  
Vaterland,  
Mache Dein erlerntes Wissen, dort nun auch mit  
Ruhm bekant.  
Pallas wirft Dir Blumen zu, und die Schaar gelehrter  
Hände,  
Wettet gleichsam eifernd hier, wer Dir recht Dein Lob  
zufende;  
Du verstehst die Cur der Kranken nicht allein vortrefflich  
wohl,  
Sondern weist auch wie man Menschen an das Welt-  
Licht ziehen soll.  
Zweiste nicht, Dein Lorbeer grünt, und in Deinen Vater-  
Mauren  
Wird Dein Ruhm wie auch Dein Gleiss stets in frischem  
Wachsthym dauren,  
Das Geschlecht der zarten Schönen, nimmt Dich statt  
Latonen an,  
Welchen Dein geschickter Finger die Geburths-Noth  
lindern kan.

D

Sagt

Sagt ein Dichter öfters wahr, so sag ich auch ohn' be-  
schwerden,  
Was der grosse Fried hier ist, wird ein Kelp zu hause  
werden.

Diese wenige Zeilen hat dem Hochgeehrten Her-  
ren DOCTORANDEN glückwunschend beysezgen  
wollen dessen ergebenster Freund und Diener

SAM. FRID. NOETTINGER,  
Bern. Helv. Med. Doctorandus.

C Ujus ineft vacuum meritis , hunc laude decora  
Contigit hinc vacuum ſepe replere locum.  
Hic merito taceo. Pro laudibus offero votum,  
Ut fors virtuti par sit Amice ! Tuæ.

Pauca hæc  
Amoris & obſervantia ergo adjecta

ÆGID. BENEDICT. CRETLOV,  
Gedanensis. Opponens.

**S**e oft, Gelehrter Freund, wie manche ſtille  
Nacht  
Dein Trieb zur Wiffenſchaft halb ſchlafflos hin-  
gebracht,  
Zeigt diß gelehrtē Stück, in wohlgeſekten Lehren,  
Die wir Dich jetzt fo klug, fo froh beſchützen hören.  
Drum geh und nimm den Lohn, ſuch Deine Vaterstadt!  
Wo nun das Glücke noch zur Weifheit Liebe hat.  
So weif ich wird man Dich um Deine Hülffe preißen,  
Du aber annoch ſpat, des Glückes Schoß-Kind heiſſen.

Hiermit wollte ſich der ferneren Wohlgewo-  
genheit des Herrn DOCTORANDEN ergebenſt  
empfehlen

Johann Gottlieb Forst,  
M. C. Naſſoicus.





Straßburg, Med. Diss.,

D. Jacobi-  
Kilian  
f

sb.

ULB Halle  
004 814 487

3



WMA



B.I.G.

Black

White

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS  
MEDICO-CHIRURGICA

DE  
**CONVULSIONIBUS  
PARTURIENTIUM.**

QUAM  
*DIVINO ASSISTENTE NUMINE,*  
CONSENSU ET INDULTU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ  
**PRO LICENTIA  
GRADUM DOCTORIS**  
MORE MAJORUM LEGITIME IMPETRANDI  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR  
**FRANCISCUS HENRICUS  
KELP,**

OLDENBURGENSIS.

D. 19. APRILIS MDCCXLVII.  
HORIS LOCOQUE CONSUETIS.

---

ARGENTORATI,  
Litteris PAUSCHINGERIANIS.